



Handwritten: No. 135 Disp. 6.
Printed: L. N. 7.

DISSERTATIO

DE

FIDUCIA ÆGRI
IN MEDICUM,

QUAM

CONSENSU FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN ALMA PHILUREA

PUBLICE DEFENDENDAM PROPONUNT

P R Æ S E S

M. Gottlieb FRIDERICI,

Tauchensis Misnicus,

MEDICIN. BACCALUR.

ET


RESPONDENS

AMBROSIUS FUCHS,

Meldorpio-Dithmarsus,

PHIL. ET MED. STUDIOS.

D. XX. JULII ANNO MDCCXX.



LIPSIÆ,

LITTERIS SCHEDIANIS.

Handwritten: H. M. Casp.

PARENTI OPTIMO
QUEM MIHI DIVINA DEDIT PROVIDENTIA
DOMINO

GOTTLIEB FRIDERICI,

PHIL. AC MED. DOCT. HUIUSQUE PRACT. ME-
RITISSIMO

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM
DE

FIDUCIA ÆGRI IN MEDICUM,
IN FIDUCIÆ AC FIDELITATIS FILIALIS SIGILLUM
ET TESSERAM,

NEC NON

UT STUDIORUM SUORUM ALIQUAM RATIONEM
ILLI, CUI POST DEUM REDDENDA,
REDDERET,

CUM VOTO FIDISSIMO
SENECTUTIS TRANQUILLÆ, VITÆ LONGÆVÆ,
FELICITATIS PERPETUÆ,
MENTE

DEVOTA, FIDA, GRATA,
D. D. D.

FILIUS OBSEQUENTISSIMUS
M. Gottlieb FRIDERICI,



§. I.



Vanta sit animi, pathematum imprimis vehementiorum, vis in corpus humanum, jam a multis ita fuit explicatum, ut fere nihil aut parum, quod dici mereatur, supersit. Sive enim mentem pro ipso sanitatis & morborum fabro habeamus, sive Archæo cuidam consimiles virtutes attribuamus, sive a motu succorum & spirituum mechanico sanitatis rationem morbiq; medelam deducamus, firmum manet & inconcussum, animi commotiones varios in corpore motus nunc in perniciem nunc in emolumentum ejus vergentes excitare, perpetuamque fere luctam esse corpus inter mentemque. Ostenderunt hanc communi experientia comprobata veritatem inter alios: Excell. JOH. WILHELM. PAULI in dissert. *de animi commotionum vi medica* Lips. 1700. habita; CHRIST. LANGIUS in dissert. ejusdem tituli & in alia *de mortuis ex adfectibus* conscripta, quæ sunt secunda & tertia in ejus operibus. Nec non Excell. FRID. HOFFMANNUS in dissertat. *de animo sanitatis & morborum fabro*, quæ est tertia T. I. dissertationum Physico-Medicarum selectiorum.

§. II.

Ex tot animi adfectibus solam ægotantis fiduciam in Medicum elegimus, vires ejus cum moraliter tum physice paulo distinctius contemplaturi. Neque vero inutile fore arbitramur, si ante dissertationis rubricam explicemus, quam ad ipsius rei tractationem progrediamur. Æger itaque in præfenti nobis is dicitur, qui ob sensum morbi præsentis aut im-

A 2

minen

minentis metum semet curæ Medici tradit. Medicum sensu populari appellamus quemcunque, cujus consilio & præscriptis mediis æger adversus morbum utitur. Non raro enim ægrota-ntes non tam peritis, veris & philosophice talibus, quam quibuscunque, quos opinio non ars commendat se & corporis sui curam committere consueverunt & etiamnum assolent.

§. III.

Equidem nos non latet, ad Medicum politio-rem requiri partim *Naturam*, qua non tantum propensio ad artem medicam specialis, verum etiam tum animi, tum corporis dotes indignantur, partim *Doctrinam*, quæ ita acquirenda est, ut a primis statim annis animus ad liberalia studia applicetur, hisque solerter pertractatis recta ad Æsculapii sacra ducatur, in quibus eum ita versari oportet, ut non superficialia, sed solidissima artis salutaris cognitione imbutus reddatur; partim *Exercitationem*, quæ ideo doctrinæ jungenda est, quia fatente etiam vulgo, Theoria res veluti mortua est, tunc demum vitam acquirens, si rite cum exercitio seu Praxi copuletur, ut taceam, quæ ab Excell. BOHNIO in libro *de officio Medici*, Excellentissimoque RIVINO in dissertatione *de Medico inculpato*, nec non Excellentissimo SCHACHERO in oratione Funebri in piam memoriam B. SCHAMBERGII hic Lipsiæ d. 31. August. 1717. solenniter habita *de requisitis boni Medici* consignata leguntur. Verum enim vero non raro ægri in Medicum hisce dotibus non præditum fiduciam collocant, tametsi ejus cura ut plurimum eventu careat exoptato.

§. IV.

Est vero fiducia spes de obtinendo quodam bono firma, ab animo humano ex signis certitudinis concepta ad securitatem eventus tendens. Generis locum in hac definitione occupat spes, utpote cujus eminentior gradus fiducia est. Differentia specifica desumitur partim a firmitudine, quæ omnem dubitationem excludit, tanquam medio operandi; partim a securitate eventus, tanquam a fine, in quem tota fiducia

cia fertur. Excludit ergo fiducia omnem metum & timorem tollit omnem inquietudinem in operando, reddit potius animum tranquillum ita, ut nullis dubitationum fluctibus agitetur.

§. V.

Appellatur alias fiducia fides, confidentia, & si nullo nititur fundamento certitudinis, temeritas, imo non raro loco fiduciæ vox imaginationis intensæ, fortis aut affectu stimulatæ usurpatur. Ita enim FIENUS, qui de viribus imaginationis prolixè atque erudite scripsit, quæst. XI. p. 192. dum de appetitu febre adfectorum irregulari sæpe tamen salubri agit, hoc ipsum, inquit, non fit virtute naturali ipsorum ciborum sed non nisi virtute firmæ ægrorum confidentiæ & intensæ imaginationis. Eodem loquendi modo PARACELsus sæpe, ubi de virtute imaginationis loquitur & HELMONTIUS passim utuntur. Quanquam enim imaginatio pro actu animæ certam ideam seu imaginem fortiter impressam continuo meditantis habeatur, vid. Excell. RIVINI dissertat. med. *de vi imaginationis* p. 224. attamen dicti autores aliive voce imaginati-onis in alio significato utuntur. Imaginatio enim iis est desiderium rei ardentissimum sine omni dubitatione conceptum, totis animi viribus impressum & in executionem tendens. Hinc fides & imaginatio, cupido & imaginatio a Paracelso sæpe conjunguntur, de causis & origine luis gallic. L. I. C. III. Interpretat. astron. in opp. Catt. in Fol. p. 670.

§. VI.

Fiduciæ excitandæ varia inserviunt media, quæ melioris doctrinæ gratia in duas dividere classes lubet. Prima classis continet argumenta, quæ a Rhetoribus aliis pervasuris commendantur, utpote quibus non minima vis competit adfectus movendi. Sunt vero horum alia absurda, alia minus absurda, uti mox ex infra dicendis constabit. Altera classis comprehendit omnia ea, quæ magicis, etiam naturalibus operationibus circumposita esse solent, uti sunt preces, invocationes,

adjurationes, ceremoniæ & superstitiosa nominum & characterum pompa. Hisce enim non tam effectus peculiare edi, sed potius fiduciam operantis intensiorem, fortiorem ac magis activam reddi plurimi fatentur, qui in eorum effectus, agendique modum accuratius paulo inquisivere. vid. DN. WESTPHAL Pathol. dæmon. p. 46. 47. WEBSTER Untersuchung der Hexerey c. 17. p. 583 -- 597. MARSIL. FICINUS Lib. III. de vita coelitus comparanda, GREMBSIUS in Arb. integr. & ruin. homin. p. 49.

§. VII.

Intercurrit sæpe in ipso exercitio fiduciæ aliqua diffidentia, sive metus de mediis ad finem ducentium effectum & influxum. Hinc dictoria: *Je mehr ich mir Freude auff eine Sache mache, je schlechter pflegt sie zu gerathen.* Item: *Wenn ich mich auf etwas verlasse, so gerath es mir ordinair nicht.* It: *Wenn ich mir am wenigsten Hoffnung gemacht, st es mir allezeit am besten gelungen.* Cum enim homines sagaciores facile inveniant dubitandi rationes & harum conscientii cum metu & diffidentia agunt, in iis autem, quæ non tam anxie curant, dubitatione vacui securius operentur, sæpe animæ expetita infeliciter, minus desiderata feliciter evenire consueverunt.

§. VIII.

Fiduciæ variæ sunt species. Dirigitur modo in DEUM a DEO accensa & tunc fides divina dicitur, quam Christus Medicus mentis & corporis Optimus Maximus, in iis non raro deprehendit, quibus a variis morborum generibus liberavit, uti id patet ex hac formula, *Tibi fiat, sicuti credidisti,* qua crebro miseris opem laturus usus fuit. Dirigitur alio tempore in naturam, & si DEI virtute & influxu excitatur & perficitur, miracula producit ac miraculosa audit, naturam sibi obedientem reddens. v. Matth. IX, 22. XVII, 20. Luc. VII, 50. XVII, 6. Joh. IV, 48. 50 -- 54. Quinimo nullum est dubium, eandem quoque in diabolum dirigi, atque hoc nefando scelere

lere hominem diabolici auxilii participem & Magum diabolicum fieri posse.

§. IX.

Dirigitur demum Fiducia ab ægroto, de qua specie nunc imprimis nobis sermo est, vel in Medicum vel in medicamenta; quanquam hæ duæ species ratione objecti diversæ conjungi debeant, & sæpe conjungantur. Equidem nunquam adest in Medicum fiducia, quin simul in Medicamenta ejus extendatur; ast non raro ægri in Medicamentum quoddam ab ignoto coemptum vel transmissum collocant fiduciam, eidem virtutes insignes competere firmiter sibi persuadentes. Confirmat hoc quotidiana experientia. Quanti enim non a nostratibus balsama Anglicana, Peruviana & nescio quæ alia, quorum titulus saltem insolitum quid crepat, æstimantur? Hinc quoque Excell. LANGIUS in dissertat. *de animi commot. vi med.* §. 52 -- 53. has duas species seorsim tradidit.

§. X.

Fiduciæ & forti imaginationi ab omnibus Philosophis & Medicis insignes vires & effectus adscribuntur, & quidem eo majores, quo intensior atque securior est. Nonnulli has vires non tantum in proprium corpus, sed etiam in alia corpora ita extendunt, ut iis plurimas præeuntibus Paracelso Helmontioque attribuant magicas operationes, quæ in distans transferri creduntur. Imaginationem enim Paracelsus soli comparat, quæ ubique operetur, cum totum cælum nihil sit nisi imaginatio. v. Fragment lib. de virtut. imaginat. c. IV. opp. T. III. p. 471. Cui sententiæ non parum lucis affundit, quod plus simplici vice observatum fuit, certis animi cogitationibus modo minui, modo augeri vires morborum inficientium & corpora aliena. vid. CASP. WESTPHAL. Pathol. dæmon. p. 43 -- 56. ubi. qui idem sentiunt, recensentur. Alii tantummodo vires fiduciæ ad proprium corpus restringunt, qua de re vid. Excell. RIVINUS de imag. vir. med. §. 26. 28.

§. XI.

§. XI.

Quemadmodum vero per hæc nihil aliud ostendere volumus, quam fiduciæ & imaginationis vires in corpus proprium satis probatas & cognitatas esse, ita his adjicimus, quod non in omnibus æque hominibus æque fortis & consuetus sit effectus, obstante, quò gaudent, temperamento. Nam (1.) illi, qui sine rerum accuratiori indagazione creduli sunt nimis, causarumque naturalium ignari; ita ut imaginationi cui-cunque indulgere consueverint, sæpe fiduciæ vires experiuntur. Huc pertinet simplex & ignara plebs, pueri & puellæ vitæ & rerum humanarum expertes. vid. Excell. RIVIN. c. I. p. 227. & 228. (2.) Sexus sequior, partim de causis naturalibus non instructus, partim in affectus & imaginationes per naturam proclivis, unde facilius fiducia & felicius utitur, Natura enim hunc sexum ob conceptionem, graviditatem, lactationem, educationem infantum teneriorum & similes fines profundiori atque teneriori affectu instruxit, ita ut etiam ad res eruditionis conversus in iis, quæ imaginationi imprimis subjiciuntur, egregia sæpe præstiterit. (3.) Hypochondriaci, lienosi, melancholici profundo & obstinato affectu gaudentes pariter virtute fiduciæ atque imaginationis excellere deprehenduntur, ita ut sæpe ex sola imaginatione ægrotent, & ex eadem mutari & convalescere consueverint. De diversis temperamentis, quæ imprimis affectibus adficiuntur. vid. Excell. BOHNIUS de Offic. Med. clin. p. 419. & LANG. de an. comm. vi medica p. 27. & 31. de foeminis autem in specie DETHARDINGIUS in Scrutin. an. & corp. prop. XIV.

§. XII.

Huc pertinent omnia exempla eorum, qui aut tristitia ægri aut lætitia sani redditi sunt, quippe quod non æque omnibus contingit. Sic Gallus quidam Parisiensis, qui ob angores cordis & noctes infomnes Medicum accersiverat, nuncio causæ in foro obtentæ accepto convaluit LEONH. BOTALL,

BOTALL. de Med. & Agr. mun. §. 6. p. 46. Sic Rensburgi an. 1645. post viginti & duas septimanas, qua urbs obsidione cingebatur, reddita & publicata pace ægri gaudio exultantes relictis lectulis in publicum prodire & sic orci faucibus erepti evasere. SCRIVER Seelen, Schatz. P. III. med. 9. §. 4. p. m. 587. Sic is, qui se mortuum esse, & sibi & aliis pervaserat, ab aliis pariter mortuos se se simulantibus ad saniolem mentem & sanum corpus reductus fuit; lemna. de Complex. L. VI. p. 177. Sic eum, quem corrupta phantasia, qua se gallum gallinaceum credebat, deceperat, alii eosdem mores & consuetudines fingendo restituerunt pristinae sanitati. v. LUTHERI Tisch-Reden, Cap. XIX. p. 241. Imprimis gravidarum imaginatio summe activa, fervens & operans deprehenditur, unde tot signa, quibus in utero embryones affecti a matribus sunt, derivari debent, quorum exempla de principibus recensentur in ZIEGLERI Schau-Platz der Zeit, d. 26. Mart. 11, 3, it. d. 29. Mart. n. 11. it. d. 22. Aug. 1, 2.

§. XIII.

Ex cunctis figimus jam nostram Thesim, quod fiducia firma, sive imaginatio fortis & seria ægri in Medicum in sanitate reducenda utramque faciat paginam. Uti enim si in hostem eundum est, præsentia ducis experti & fama rerum gestarum celebris plus sæpe efficit, quam insignis gregariorum militum multitudo, ita moderatore bono & pro ut æger sibi firmiter persvadet, felicissimo Medico, felicius sæpe cura morbi instituitur, quam si ab alio quocunque cumulus convenientium medicamentorum fuerit oblatus & corpori infusus. Probabimus hoc per effectus bonos, quos fiducia in Medicum cum extra corpus tum in corpus ægri per naturam suam operatur. Primos effectus morales, secundos physicos appellabimus.

B

§. XIV.

§. XIV.

Extra corpus ægri primus effectus est, quem fiducia producit, confessio errorum, quos commisit, & causarum circumstantiarumque morbi. Uti enim multi perierunt, quod pudore aut diffidentia erga Medicum morbum ipsi aperire noluerint, ita non pauci male tractantur, quod morborum causas & occasiones Medico etiam sciscitanti non aut non integre aperiant. Fiducia omnes timoris & dubitationis rationes tollit, firma persuasione, morbum a tanto viro, modo rite ei aperiatur, curari posse: Ergo stimulat ægrum, ut ei, cui tot arcana sua commiserit, nihil facile non detectum relinquat. Medicus igitur sciscitationem suam ab ægro de causis occasionalibus, circumstantiis morbi, de animi pathematibus, de variis symptomatibus &c. commode poterit instituire, neque morositatem, occultationem vel etiam voluntariam ægri deceptionem, quibus sibi multi nocent, meruere debet. v. de Sciscitationis difficultate Excell. BOHNIUS de Off. Medic. clin. C. VI. P. 129. 139.

§. XV.

Secundo ex fiducia ægri oritur extra corpus obsequium ejusdem erga Medicum & omnes eos, qui curam morbi autoritate Medici habent. Etenim diætæ a Medico præscriptæ observatio, moderamen caloris & frigoris patientia in effectu medicamentorum expectando &c. requirunt obsequium imprimis si consuetudines pravas exuere & naturam quasi vincere debent. In eum, cui plane fido, curam rejicio eventus, & obsequium ei præstandum proficuum necessariumque duco. Ab iis, quibus integram fidem adhibemus, facile nos persuaderi patimur.

§. XVI.

Tertio fiducia in Medicum operatur extra corpus ægri

ægri in mente ejus acquiescentiam in ejus consiliis & medicaminibus; qua multitudo Medicorum & consultationes plurium evitantur. Qui enim persuasus est, Medicum suum plus aliis valere, alios non facile admittet. Periculosissimæ sunt tales plurium admissiones partim ob inæqualem peritiam artis ipsius, partim ob principiorum & methodi medendi discrepantiam, partim ob Medicamentorum diversitatem, cum quilibet sua æstimet, partim ob naturalem hominibus in rebus dubiis disensionem & suarum opinionum cum pertinacia defensionem, partim ob invidiam, qua plurimi erga alios exercentur. vid. Excell. BOHNIUS de Off. Med. clin. p. 114. & p. 117. Hinc PLINII effatum in Histor. Nat. L. XXIX. C. I. Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem consente ne videatur accessio alterius. Hinc illa infelix monumenti inscriptio, turba se Medicorum periisse. Inde OWENUS:

*Nunquam crede mihi, a morbo curabitur æger,
Si multis Medicis creditur una febris.*

Discordia enim Medicorum fere ægrorum perniciēs est. Non enim alius ferme eventus est, quam si pluribus unum vitrum mundandum tradas de ipso mundandi modo discrepantibus. Quodsi ergo unquam consultationes sunt instituendæ, uno moderatore fiant, qui optima eligat & applicet, quanquam probus & conscientia suæ rationem habens Medicus sponte, si dubia occurrunt, aliorum adhibita exploratione sibi & ægro suo consulere soleat.

§. XVII.

Quarto per fiduciam ægri in ipso Medico producit amor, ex amore cura major & sedulitas, qua Medicus omnes animi & corporis vires intendit, ne æger sua culpa pereat. Amor generat amorem, æstimium producit æstimium.

nium. Nam qui vult amari, amet, qui vult honorari, honoret. Fiducia autem nascitur ex æstimo & amore; ergo utrumque erga Medicum producet. Jam constat inter omnes, quid possit amor & æstimium: diligentem reddet Medicum omnium circumstantiarum exploratorem, in morbo indagando & medicamentis eligendis attentum, & ne honorem & amicitiam perdat, aut ei male respondisse videatur, maxime sollicitum. Apparet hoc ex contrario: Si enim Medicus sentit, se contemni, aut integram fidem sibi non adhiberi, segnior redditur, negligit ægrum, & quod mala sibi, bona aliis adscribantur perſuſus, subtrahere sensim se laborat.

§. XVIII.

Verum longe excellentiores sunt effectus Physici, quos fiducia in corpus ægri exserit, de quibus jam paulo profundius agendum. Equidem magna est consensus Medicorum atque Physicorum de veritate hujus influxus, sed in causis & modis causandi allegandis eo major est dissensio. Ex veteribus licebit ad ipsum HIPPOCRATEM provocare, qui de Medico T. I. Præcept. textu IV. asserit, quod magis fide quam duritie medeatur, cui analoga sunt Avicennæ effata, imprimis in libro de anima quæ reperiuntur, secundum quæ spem fidemque in Medicum & Medicamenta plus sæpe efficere opinatur, ac ipsam cum Medico Medicinam. Ex mediæ ætatis viris notatu dignus est HUARTUS in Scrutin. Ingen. c. XV. p. 408. & 417. qui vel maxime in Medico Practico hanc fiduciam requirit; Ex Recentioribus fidem & imaginationem animam methodi medendi vocavit ETTMULLERUS in Instit. Med. part. Therapevt. C. I. p. 152. Et instar omnium Excell. BOHNIUS in suo circulo Anatomico testatur, quod teste experientia quotidiana remedia etiam saluberrima a Medico minus grato exhibita & ægro invito assumpta, raro ex voto operentur, contra minus appropriata ob confidentiam in Medicum sæpe feliciter

feliciter cedere. Antiquum est proverbium, Recentioribus quoque approbatum: *Sanat plurimos, cui plurimi confidunt.* Quomodo autem hi effectus physice explicari debent; altioris erit indaginis.

§. XIX.

Animæ rationali, quam mentem vocamus, adscribunt hos effectus multi ex recentissimis, cum hanc corporis formatricem & principium vitæ substantiale habere soleant. Sed (1.) anima rationalis sive mens non potest esse principium formans corpus, & motus vitales producens, cum partim mentis essentia simul consistat in reflexione & conscientia sui, nihil vero sibi de formatione & motibus vitalibus corporis sui conscia est; partim vita integra non sit in mentis potestate & libertate, sed sua peculiari necessitate teratur; partim manifesto illud principium, quod format & vitaliter conservat corpus, hominibus cum brutis sit commune, mentem autem bruta non habent. Dein (2.) hac explicatione nihil explicatur, æque enim obscurum manet, quomodo mens tanquam spiritus materiæ expers, in corpus actiones aut passionem suas transferre, & corporales effectus producere possit.

§. XX.

Melius illi imo optime judicare videntur, qui cum *Williso* rem per Spiritus animales explicant, ex quo jam ea, quæ huc pertinent, breviter deducam. Nimirum pars alimentorum corporis in subtilissimam materiam elevatur actuosam, volatilem, ex cerebro per nervos in totam machinam transfusam, quam Spiritus animales dicere solent. Hi tanquam instrumentum universale, beneficio cujus actus vitales & animales perficiuntur, animæ præsto sunt, & per eam determinantur, ut in omnes succos & partes solidas fieri influxus queat. Quod si ergo anima sine extraordinaria

commotione tranquilla existit, quiete hi spiritus fluunt, & officiis suis funguntur: at si anima voluptate aut grato quocunque affectu afficitur, ampliantur per horum excitatum fluxum partes, succique melius fluunt, si vero sensu ingrato aut dolore corripitur, constringitur horum fluxus cum partibus & omnes succi retardantur. Cum vero cerebrum & cor sint duo primaria corporis centra physica, in his vel maxime hæc expansio & constrictio sentitur, hincque per totum corpus propagatur. vid. THOM. WILLISIUS de anima brutorum C. VIII. p. m. 67. 71. 72.

§. XXI.

Confirmantur hæc per communem omnium hominum experientiam. Sic si anima cogitando, meditandoque utitur his Spiritibus, deficiunt ad alia negotia vitalitatis obeunda, e.g. quando post assumptos cibos meditatur & studiis acriter incumbimus, turbatur digestio ventriculi, item qui excedunt meditando & studendo, pauca edere atque bibere debent, pauca enim digerunt, & omnes vitales motus segniter fiunt. Sic si anima terrore aut dolore percussa est, constringuntur hi spiritus, & versus præcordia ita congeruntur, ut angustia difficultas respirandi manifesto sentiat: sed si lætitia aut voluptate perfusa est, expanduntur iidem, atque in corporis extrema evagantes motibus membrorum & agilitati inserviunt.

§. XXII.

Tam anima fiducia in Medicum, qua desiderii sui complementum sibi sistit, & de mediis plene pervasa est, constanter affecta, & imaginatione sibi hoc bonum jam ut præsens repræsentans agitat hos spiritus, expandit, & vi horum motus omnes vitales promovet, medicamenta per hoc melius administrantur, nullum impedimentum ab heterogeneis adfectibus oritur, quodlibet levamen fiduciam & lætitiam

lætitiam auget, & ita restitutio mirum in modum promovetur. v. WILLIS. c. I. p. 79. 80. Cum porro maxima pars curæ in expellendis noxiis sita sit, facile liquet, quomodo anima sive natura fortior per fiduciam reddita, & spirituum agilium ministerio utens, majori cum successu materiam peccantem expellat, & curam mirifice promoveat. Ipsa fiducia jam robur naturæ est, notum vero omnibus, qui non invita natura morbis præsumunt, erit, non tam Medicum & medicamenta, quam naturam ipsam adjutam Medico & medicina corpus suum ab hostibus vitæ liberare. Omnes autem motus vitales hoc modo agiliores & excitatiores redduntur.

§. XXIII.

Spei, fiduciæ aut desiderio firmo atque forti imaginationi opponitur timor, diffidentia, desiderium imaginationis langvens & depressum. Quo ergo plus ad mortem hoc oppositum confert, eo plus ad vitam & sanitatem conferet fiducia, solum tædium & nauseatio perhorrescere corpus facit, & ut assumpta per vomitum violenter ejiciantur. Quid non timor terrorque adversi in humano corpore efficere potest? Timore febres contrahi, continuari atque redire, pestem facillime excitari & communicari, epilepsiam, erysipelas, abortus obvenire &c. ab aliis jam ostensum legimus. Conf. Excell. RIVIN. dissert. Med. p. 229. 230. Metum sensu privare homines, canitiem subito introducere, imo exanimare multos, exemplis docuit CAMERARIUS in memorabilibus Medicinæ & naturæ Cent. II. VI. 13-29. Ergo opposita fiducia, spes & imaginationis forte & securum desiderium contrarium producet lætiumque ac proficuum effectum. Nam contrariorum contraria est ratio.

§. XXIV. Te

§. XXIV.

Testatur de hoc communis & omnium Medicorum experientia. Fiducia cibos alias noxios febricitantibus reddit proficuos, arcanis sæpe prætensis tantum vim largitur, rebus nullius efficaciam efficaciam conciliat, amuletis dat vires, quas natura sua non habent, strumas attactu curari juvat &c. de quibus exempla leguntur ap. Excell. LANGIUM de animi commot. vi medica p. 31. seq. & RIVINUM c. I. p. 234--237. Inter Instrumenta medica, jam diu has ob causas numerata fuit confidentia, quam activam in sanitatis restituendæ negotio tot viri experti erant, vid. CAMERAR. c. I. n. XII. p. 82.

§. XXV.

Patet simul hinc, in quibus morbis maxime fiducia salutarem effectum præstet. Scilicet exserit suas vires fiducia cum ideis imaginativis & desideriis, ergo in morbis imaginationis & phantasie curandis multum proderit. Fiducia per spiritus in succos corporis & totum corpus operatur: ergo in spirituum morbis & omnibus motibus vitiosis corrigendis conducet. In corpore spirituum, motibus eorum irregularibus, febribus maxime intermittentibus &c. præprimis fiducia in corpus effectus insignes exserere poterit. Confirmantur hæc per experientiam Excell. LANGII diss. cit. §. 42 - 51.

§. XXVI.

Quare ut certis mediis fiducia ægri in Medicum excitetur, opus erit, quorum alia sunt absurda & inconvenientia, quibus interdum credunt ægri & utuntur deceptoribus, alia vero proba & rationi consona, quibus duci ægro-

tantes & uti Medici prudentes debebunt. Inter absurda numeramus (1.) ætatem proveciorem Medici, quando putant, senem plus efficere juvene, aut in virili ætate adhuc constituto posse. Hinc Germanorum proverbium: *Ein neuer Doctor ein neuer Kirchhoff*, it. *Ein alter Medicus und ein junger Advocat sind am besten zu gebrauchen*. Nititur hæc persuasio opinione experientie, quam ætate demum acquiri constat, quamque in Medico multum imo plurimum facere nemo negabit. Ast probe adversus hoc præjudicium observari debet, quod sola experientia, nisi rite & secundum principia genuina examinata non faciat bonum Medicum, quod senex errans & præjudiciis autoritatis occæcatus, sit pertinax in errore, quem terra toties texit, quod non omnibus ætate provecioribus datum sit, multifarios eosque periculosos morbos curare, quos tamen sæpenumero juniores felici cum successu curant. Verbo. Non vulgaris experientia, sed erudita ac dogmatice expensa & examinata fiducie conciliandæ genuinum medium est.

§. XXVII.

Absurdum medium est (2.) jactatio indicationis specialis, imo specialissimæ ex Urina, in qua tanquam speculo magico multi tales hariolatores omnes causas & circumstantias morborum vidisse se se ægris persuadent. Equidem nemo negat, naturam per urinam excretam prodere sæpe se & negotia sua, ita ut a prudenti Medico hæc indicatio non negligatur. Sed omnia ex eadem veluti crystallo magico perspicere, & totum morbi eventum prædicere velle res est, quam prudentes rident, sed circumforanei, medicastri vulgo persuadere omni nisu conantur. Erat aliquando ejusmodi deceptor; qui suos famulos ita instruxerat, ut ab iis, a quibus urina afferebatur, omnes morbi & ægri

C

circum-

circumstantias expiscarentur, easque occulta via ad dominum deferrent. Advenit uxor viri plebeji, afferens mariti urinam, exploratione per famulos facta, admittitur uxor, & post serium, quod deceptor simulabat, urinæ examen ab eodem percipit, causam morbi esse, quod maritus e scala per quindecim gradus delapsus sit. Uxor demirata dexterritatem viri affirmabat, rem ita se habere, nisi quod per viginti gradus dejectus fuerit, sed statim ille, num omnem urinam apportaverit, quærit, & accepta responsione, quod partem reliquerit, quinque etiam gradus & signa horum una abjectos fuisse gravissime asseverat. De his & similibus artibus præterea, quæ JOH. RUDOLPH CAMERARIUS in *sylloge memorabilium Cent. I. n. 50-70.* congeffit, legi meretur VALENTINI MACHIAVELLUS Medicus & des getreuen Eckardts entlarvter Marckschreyer.

§. XXVIII.

Absurdum medium est (3.) quod a Medici superbia & affectata raritate, aut quoque a pretio insigni medicamentorum ducitur, secundum formulas: *Der Mann ist gar nicht zu haben, er gehet nicht einmahl zu allen Leuten, er hat Medicamenta von der größten Kostbarkeit.* Ergo *ist er ein vortrefflicher Mann.* Non raro hac vanitate inducuntur, qui divitiis abundantes ambitione simul vexantur, qua magnorum virorum excellentiam ubique affectant. Addunt enim sæpe, quod tam excellens vir magnis tantum & eminentioribus succurrat: *Er ist kein Medicus vor gemeine Leute,* scil. nihil aliud hac deceptione efficitur, quam ut demum Medicus, qui hac arte commendari se perspicit, majorem sibi autoritatem conciliet, omnibus medicamentis vilibus licet, & communibus pretium insigne statuat, & operam suam pluris imo maxime vendat.

§. XXIX.

§. XXIX.

Affine est huic aliud non minus ineptum medium, quod (4.) ab illustri familia, ex qua ortum ducit Medicus & a splendore vitæ generis ad ejus præstantiam concludit. Quanquam enim non sit diffidendum, eos, qui ab insignibus Medicis originem ducunt, insignem sæpe doctrinam veluti hæreditario jure accipere & possidere posse, uti de Æsculapii gente ex quo HIPPOCRATES Asclepio patre in insula Coo genitus, prodiit, satis constat. vid. DAN. CLE-
RICI *Histor. Medicin. L. I. c. II. p. 70. seq.* tamen splendor familiæ & vitæ per se ad excellentiam Medici nihil confert, nec conferre potest, cum hoc ipso potius a laboribus, qui probo Medico proprii sunt, abduci possit & absterreri. Cum splendida vita & gente raro splendida & solida doctrina atque experientia & dexteritas conjungi solet,

§. XXX.

Splendidi etiam tituli Medicamentorum (5.) sæpissime medium sunt excitandi æstimum atque fiduciam, sed medium perabsurdum. Multi etiam ex dogmaticis & probis Medicis tales titulos suis inventis imposuere, ut se & sua iisdem commendarent, v. g. *Der Königin Christina alterations- und Lebens- Pulver, unvergleichliche Gold- Tinctur, Indianisches Wunder- Oehl, Wunder- thätiges Salz, Paracelli Panacee, Seravinische Lattwerge, sieben und siebzigerley Pulver, Gottes Wunder- Güte preisendes Ottern- Schmalz* &c. Hæc enim & similia etiamsi bona sint, tamen tam universalis haud sunt, quam jactantur. Nulla est concludendi vis, si dicas: Hic pulvis Reginae Christinae ad vitæ usum diuturniorem profuit, ergo omnibus prodest. Non enim omnes æque homines iisdem gaudent temperamentis, & status sui naturalis aut præternaturalis circumstantiis. Quam universale non habetur, casto-

reum in affectibus mulierum, ut fere pro panacea habeatur, inrerim tamen constat expertis, a nonnullis abhorrerri & sine euphoria adhiberi.

§. XXXI.

Licebit etiam (6.) huc referre varia sæpe ementita aut per fas nefasque obrenta testimonia, quæ nonnulli Medicorum circumferre solent aliisque ostentare, in quibus sæpe eorum ars & peritia ad sydera encomiis extollitur. Ut vero taceam summorum Principum testimonia per eos sæpe dari, qui rem medicam non intelligunt, omnibus prudentibus constat, quod una hirundo non faciat ver, & quod unus atque alter felix eventus de Medici atque medicamenti virtute non sit sufficiens testimonium. Quod fortuna, ut loquimur, peperit, sæpe ab imperitis arti adscribitur & vice versa, & prudens loco chartaceorum aut coriaceorum testimoniorum rerum testimonia requirit.

§. XXXII.

Pessimum etiam medium fiduciæ excitandæ est, si (7.) aniculis, ancillis, mulierculis, proxenetis & similis fursuris hominibus, blandimentis, imo donis se & sua commendant, ut aliis commendentur. Amore ergo ejusmodi hominum ægri decipiuntur, fiduciamque in eum ponunt, qui omni fiducia indignus est. Nam nemo ex his præconibus intelligit Medicum aut medicinam, neque signa probi aut improbi Medici: imo ipsa ejusmodi affectata commendatio facile prudentibus manifestat, quod deceptio subfit. Refero huc, si consanguinitatis aut affinitatis gratia Medicum eligunt, licet de ejus peritia plane non sint persuasi.

§. XXXIII.

Deceptorium etiam medium est (8) decorum elegans
Me-

Medici, quo vestitu; gestibus, conversatione imo, garrulitate placere & delectare novit. Non raro etiam satyrica aliorum exagitatio, historiæ familiarum arcanæ, discursus liberes & profani commendarunt Medicum. Similes quærent labra lactucas. Licet autem honestum & civile decorum omnes imprimis Medicos deceat, tamen hoc ipsum multo minus decorum, si ita loqui liceat, inhonestum aut corruptum, argumentum peritiæ & probitatis medicæ esse potest. Argumentum pessimi loquacitas est. Ostendit etiam levitatem animi, a qua probus Medicus vel maxime abhorrerre debet.

§. XXXIV.

Demum (9) huc pertinet jactantia nonnullorum, qua brevi temporis spatio non tantum levamen, sed & perfectam sanitatem promittunt, cum tot tantosque viros dicto citius ex orci faucibus revocaverint. Accedit his de medicamentorum suorum excellentia & raritate insigne elogium, ita ut ægri sæpe percare emant, quod ubique obvium erat. Medicus naturæ minister est, non imperat ei. Talis ergo jactantia non fiduciam, sed diffidentiam excitare deberet. Natura in minimis maxima recondidit, ubique potentiis suis sibi constans, nullibi tamen omnipotens. Decipit ergo & decipitur, qui vires in raritate, aut absolutam medendi potentiam in caritate quærit.

§. XXXV.

His deceptoriiis mediis fiduciam excitandi aut causas eandem concipiendi opponuntur vera & genuina, quibus æger niti & Medicus uti debet. Huc refero (1) vitæ sanctimoniam & pietatem, quæ ad omnia utilis jure meritoque censetur. Equidem pius vir amore proximi ducitur, auxilio DEI fretus semper secure agit, labore & prudentia officii suis satisfacere studet. Huc refero (2) vitæ sobrietatem

tatem, qua a vitiis omnibus intemperantiæ abhorret. Qui Bacho litant, inciii sæpe venena pro medicamentis propinant, & prudentia omnis, imo omnis vera sapientia fugit ex temulento animo.

§. XXXVI.

Refero huc (3) signa externa solidæ atque probæ eruditionis. Talia sunt discursus clari & distincti de morbo, quo æger vexatur, ut & hic intelligere possit, quid res sit, de qua agitur, explicatio clara causarum morbi, ut æger conscientia sua convinci de peritia Medici queat, solutio dubiorum solida & evidens, ut cernant omnes, quod non ex autoritate aut consuetudine, sed ex ratione agat & consilia det, indicatio effectuum sui medicamenti & causarum, quibus impediri aut variari iidem queant, ut habeat hoc ipso æger, quo de peritia sui auxiliatoris vincatur, &c.

§. XXXVII.

Refero huc (4) patientiam in explorando & sciscitando, visitando, observando, emendando. Explorari minimæ sæpe circumstantiæ debent. Visitatio ad medicamentorum effectus & morbi variationes perspiciendas necessaria est. v. *Excell. Bobnius de Officio Medici clinici p. 102. seq.* Observatio requiritur, ne & æger, & ministri, aut quicumque ægro inserviunt, peccent. Emendatio negligi nequit, cum variante morbi statu variari regimen debeat. Sane imprudens est, iis se committere, qui aut nolunt aut non possunt plenam nostri curam habere.

§. XXXVIII.

Refero huc (5) taciturnitatem, qua omnia ita custodit, ut certus æger esse possit, ne in vulgus exeant, aut etiam cum amicis communicentur. Sæpe enim hoc morbi genus requirit, ut, quantum possibile, haud divulgetur, & multi vix æquo ferunt animo, si morbus, quo laborant, vel amicis vel aliis aperitur. Observet ergo is, qui Medicum accersit, an plenus rimarum sit, & hac atque illac perfluat, cui,

cui se credere non debet, nisi velit omnia brevi divulgentur. Medici & confessionarii integra fide & taciturnitate gaudent oportet; amici enim ægri sunt, amicorum vero est custodire arcana, v. *Excell. Bobnius de Officio Med. Clin. p. 92.*

§. XXXIX.

Refero huc (6) alacritatem & hilaritatem. Alacritas eum reddit promptum in inserviando, hilaritas omnem morositatem depellit, ambæ autem gratum reddunt sanitatis patronum. Tristitia enim, morositas, lentor ostendunt animum invidum, studiis aliorum haud deditum, obstinatum, in quem nulla secuta spes reponi potest. Huc pertinent omnia, quæ de comitate Medicorum dici & commendari solent, secundum versiculum

Corporis auxilium Medico committe sodali.

Comitas enim signum benevolentiae & amicitiae est, amicitia causa fiducia,

§. XL.

Demum huc refero (7) honestorum & peritorum virorum consortium, quibus constet de experientia, probitate & excellentia Medici. Cum enim tales viri sciant, quid distent æra lupinis, & improbos atque imperitos fugiant, eorum testimonium omnino pondus habebit, consortium vero ipsum jam approbationis testimonium est. Ægro non semper de Medico constare debet, probis ergo fidat, ut probum acquirat Medicum.

§. XLI.

Perfacile esset, hic plura coacervare media fiduciæ, præprimis ejus mentionem facere, cujus, meminit Galeotus Martius c. 15. de doctrina promiscue, quod licet primo intuitu absurdum videatur, in absurdorum tamen fiduciæ medicorum catalogum minime inferendum est; sed cum hæc ob rei ipsius claritatem sufficere possint, ex dictis quædam Medici & ægri officia concludere lubet. Scilicet:

1.) Ægri est, in tempore sibi cognita reddere signa probi Medici, ut eum eligat, qui fiducia dignus est.

Com-

Competit enim unicuique cura sanitatis & mediorum,
quæ huc faciunt.

- 2.) Ægri est, nosse media fiduciæ excitandæ spuria & deceptoris, ut cavere sibi a deceptoribus possit & semetipsum non decipiat.
- 3.) Ægri est, eligere Medicum, in quem fiducia sua niti possit. Nam fiducia magnum adfert ad felicem curam momentum.
- 4.) Ægri est, Medicum omni cum fiducia sequi & hanc ipsam magis magisque augere. Augetur enim hoc modo Medici quoque cura & fervor morbum depellendi.
- 5.) Ægri est, Medicum, cui fidem habere nescit, mature deferere, ne sibi noceat.
- 6.) Ægri est, non excedere in fiducia erga Medicum exercenda. Minister enim naturæ hic est, non dominus.
- 7.) Medici est, quærere media honesta & proba, quibus fiduciam ægri excitare possit. Nam hæc est magna pars methodi medendi.
- 8.) Medici est fugere, media fiduciam excitandi absurda, nisi se suaque probis suspecta reddere malit.
- 9.) Medici est, si æger præjudiciis deditus est, simulando & dissimulando hisce semet accommodare, se enim alias & sua reddit inutilia.
- 10.) Medici est, curare, ut etiam in medicamenta sua æger fiduciam colloct. Nam fiducia in Medicum nihil esset, sine fiducia in medicamentum ejus.
- 11.) Medici est, si fiduciam in medicamentum inanibus etiam circumstantiis, modo non per se malis producere aut augere potest, hoc ipsum non omittere.

DEus, qui Medicum dedit atque medicinam, efficiat, ut hæc & alia, quæ de re medica hominibus cognoscenda dedit, in proximi cedant emolumentum, cui & benevolo lectori nos & nostra enixe commendamus.

TANTUM!

